

1562 Rothomagum, Neustriæ insignem urbem, obsidione premunt; propugnatoribus acriter se tuentibus Divæ Catharinæ munitione vi potiuntur; ea occupata, & Cantabriæ Rege cum sexdecim peditum, duobus equitum millibus, Germanorumque subsidio, victore ex Biturigibus superveniente, cum Catholicorum impetum foederati sustinere non possent, civitatem deferere coguntur. In ea obsidione Antonius Rex glante humero trajectus occubuit. Momorantius statim cum copiis Lutetiam contendit, quo Condæum, Corbolio ad Senam amnem frustra oppugnato, cum exercitu proficisci nunciabatur. Parisienses, nulla interposita mora, noctu dieque continuatis operibus, suburbia aggeribus, ac fossis communiunt; cum interim, amne tantum exercitus sejungente, levioribus certaminibus sæpe utrinque pugnaretur, deque concordia sermones, quamvis irritò conatu haberentur. Communitis castris, in quibus decem peditum, sex equitum millia, tormenta bellica septem censebantur, ordinata acie Condæus egreditur. Catholici loco consistendum rati, sclopporum, ac tormentorum assidua ejaculatione, nullo fere hostium damno rem agunt: nec secus postridie contigit. Regina imminet Galliæ pericula, si qua via detur, avertere enixa, Condæum ad colloquium, brevibus induciis factis, denuo accersit: haud procul a Divi Marcelli suburbio conveniunt. Eorum, quæ a Condæo petebantur, summam Albaspinus a Secretis excipit.

Antonius
Cantabrie
Rex in Rothomagi oppugnatione interfectus.

Condæus a Regina ad colloquium vocatus pacis conditiones proponit.

Regionem respondit.

1. *Quam quisque sequi religionem velit, ei ne crimini sit; nuperque invec̃ta publice exerceatur.* 2. *Eo facto Angli, atque externæ copię e Gallia discedant; oppida in priorem statum redeant.* 3. *Vita, bona, religio unicuique libera, ac tuta sint.* 4. *Intra sex mensium spatium ad dissidia tollenda liberum Concilium celebretur; ni perfici possit, conventus ea de causa totius Galliæ, in quo quilibet interesse possit, habeatur.* 5. *Ad ea perficienda cautiones adhibeantur.* Regina scripto mature consulto, per eundem Albaspinum sequenti die in hunc modum respondit: *Mentem Regis esse, ut neque Lugduni, neque in urbibus in limitibus sitis, vel in iis, quæ curia insignitæ sint, aut quæ hucusque januarii edictum non receperint, religionemque intactam servaverint, conciones habeantur, aut nova religio inducatur: Sacratissimis viris bona*
adema-